QVAESTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. FEBRVARII, GABRIELE BIARD, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An a calore insito incrementum?



VITA HVMORE PRIMIGENIO & calore insito, ab elementari diuerso, duobus velut fundamentis innititur. ille pabuli vice calorem fouet ac sustentat. hic vitæ author & conseruator humorem assiduè depascitur. cuius inopiam mors naturalis tandem consequitur: cum nullo possit alibili succo reparari. Vnde vita nihil aliud esse videtur, quàm caloris innati in humido permansio: mors eiusdem extinctio. Quæ, quia quasi sponte naturæ contingit, naturalis appellatur, & a violenta distinguitur, quæ ab externo contrario importari solet, vi magna & vehementi naturam oppugnante. Longioris ergo vitæ causa in his duobus principiis exquisitissimè mistis & temperatis collocanda est: sicut breuioris, in iisdem conuenientem inter se proportionem non habentibus. Quanquam ad eius diuturnitatem & breuitatem non parum conferunt cœlestium corporum influxus, syderumque aspectus & irradiatio, soli & regionis bonitas aut inclementia, ratio victus naturæ accommodata.



CALORIS INNATI subiectum est spiritus. huic almus & vitam fouens humor substernitur. Ex quo fit vt hoc exhausto, celeriùs cogitatione, spiritus cum calore intereat. Calori extincto spiritus & humor aliquantisper superesse possunt. Spiritus autem, vt calor, duplex est, fixus & influens. Ille ab ortu primisque natalibus singulis partibus insitus atque congenitus, naturalium functionum minister. Hic, à principibus partibus fixo adlabens in præsidium, illius perenne effluuium resarcit. Influens, iuxta principum partium numerum a quibus promanat, trifariam distribuitur, in naturalem, cuius iecur, vitalem, cuius cor, animalem, cuius cerebrum fons & origo habetur. Hi tres spiritus non perfectionis tantùm gradibus, sed natura & viribus inter se discrepant.



FACVLTATES, quibus totum corpus regitur, & quarum spiritus prima & præcipua sunt instrumenta, tres similiter numerantur, iisdem omnino nominibus insignitæ, naturalis, vitalis & animalis. Naturalis est illa animæ vis, qua naturales perficiuntur actiones. huic tres aliæ famulantur. Vis procreandi, quæ semini insidens illud ad actum perfectionemque suam hominis generandi causâ excitat & promouet. cui ancillantur, immutatrix & conformatrix. Nutriendi, quæ adiectum alimentum in corporis substantiam conuertit eique assimilat. Huic auxiliariæ parent, attrahens, continens, concoquens & expellens: quarum necessitate corpus alitur & sustinetur. Secernens verò ab illis distincta temere introducta est. Augendi, quæ corpus quoquouersum porrigit. Procreatricis dignitas præstantior. Altricis tamen quàm huius & auctricis maior ad vitam necessitas. Auctrix omnium vilissima & abiectissima.



HÆC PARTES corporis viuentis, in longitudinem, latitudinem & altitudinem simul, extendit: seruatâ eâdem specie & continuitate. Ad humores & spiritus nequaquam pertinet: imò, nec adipis nec partium quæ carne constant, sed solidarum duntaxat peculiaris videtur. quæ vbi iustam magnitudinem adeptæ sunt, corpus cessat augeri. Crescit autem plurimùm circa pueritiam, quo tempore vis augendi viget & dominatur, propter caloris & humoris vbertatem: quibus dum abundant partes solidæ facile extenduntur & porriguntur.



CVM ENIM VITÆ humanæ curriculum quatuor ætates metiantur, pueritia, calida humida, florens seu virilis, calida sicca, decrescens seu inclinans, frigida sicca, senectus, frigida humida, primâ tantùm ætate homo augetur, quâ exactâ sistitur illius incrementum. Omni enim animantium generi certus magnitudinis terminus à natura definitus est: quem non attingere aut excedere, contra legem eius arbitramur. Sunt autem ætates, insignes & ordinariæ mutationes quæ per vitam contingunt, totque censentur, quot temperamentorum in vita conspiciuntur varietates.

Ergo a calore insito incrementum.

Asserebat Lutetiæ HIERONYMVS GVLONIVS, Parisinus, Græcarum literarum Professor Regius, anno 1609.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Collier.
M. Robertus le Secq.
M. Simon le Tellier Med. Reg.
M. Richardus Marcets.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.
M. Ioannes le Moyne.
M. Claudius Boyuin.
M. Philippus Arduyn de S. Iacques.